

perstites foret illorum fors, aut dubium, an adhuc purgati essent, preces revera & oblationes fiebant in sacris. Nimirum ex Apostolica Traditione persuasum habebant, uti & adhuc habetur, militantis Ecclesiæ orationibus Mortuorum Animas juvari, *ut a peccatis soloantur*, & in beatam apud Deum Requiem emigrent. Accipe Latinis verbis, quid Liturgia Jacobi ferat. Orat Sacerdos & Populus, *ut inveniamus misericordiam & gratiam cum omnibus Sanctis tuis* (idest ut in consortium admittamur Sanctorum) *qui ab æterno tibi placuerunt per generationes ac generationem: Majorum nostrorum Patrum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Doctorum, Sanctorum, & omnis Spiritus Justi in fide Christi tui consummati, Splendidiora sunt, quæ sequuntur, quaquam a Burneto ipso producta: Memento, Domine Deus noster, Spirituum, & universe carnis, quorum memoriam egimus, & quorum non egimus, Orthodoxorum, ac recte de Fide sentientium, ab Abel justo usque ad hodiernum diem. Fac eos REQUIESCERE IN REGIONE VIVENTIUM, IN REGNO TUO ET DELICIIS PARADISI, IN SINU ABRAHÆ, ISAAC, ET JACOB, Sanctorum Patrum nostrorum, unde exultat dolor, tristitia, & gemitus, ubi præsidet LUMEN VULTUS TUI, & perpetuo resulet. Nisi clausis oculis pugnans Burnetus sibi fucum fecisset, aut aliis facere voluisset, duo in hoc ipso loco Sole meridiano clariora inspe-xisset. Alterum est, jam Patriarchas, Apostolos, Martyres &c. in Regno Dei, in Paradiso versari, & frui Lumine Vultus Dei, neque viventium precibus apud Deum indigere. Quum viventes optent ac petant, ut cum iis jungantur, patet, nos adhuc navigare, illos vero jam Portum tenere. Quod etiam didicisse potuit ex Libro VIII. Cap. 41. Constitution. Apostolicar. quas & ipse, qua fronte nescio, heic laudat, ubi illa occurrunt: *Colloca eum in sinu Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum &c. qui vident Gloriam Christi tui, quæ verba Cap. VII. supra attuli. Et collocet eum in Regione Piorum, quiescentium in sinu Abrahami, Isaaci, & Jacobi &c.* Ita ex eadem Liturgia Jacobi, quo in loco Sanctorum Animæ maneat, didicisset Burnetus, si discere amasset. Nempe ibi in Præfationis Hymno laudatur Deus, *quem Cæli Cælorum laudibus celebrant, Jerusalem Cælestis congregatio, Ecclesia primogenitorum descriptorum in Cælis, Spiritus Justorum, & Prophetarum, Animæ Martyrum, & Apostolorum, Angeli, & Archangeli, &c.* Heic manu tangimus, e quibus efformetur Cælestis Jerusalem: e primogenitis Ecclesiæ, e Spiritibus Justorum, ex animabus Martyrum & Apostolorum, atque ex Angelis & Archangelis. Nomina autem Spirituum & Animarum nihil aliud ibi designant; nisi Animas a corpore separatas, quæ utique in Cælo cum Angelis & Archangelis collocatæ dicantur. Alterum est, ex ipsa Liturgia, quam improvide Burnetus pro se exeruit, diserte nos moneri, Synonima apud veteres fuisse Regionem Viventium, Regnum Dei, Delicias Paradisi, Sinum Abrahami: ubi præsidet Lumen Vultus Dei: in quem beatissimum locum jam receptæ fuerint Patriarcharum, Apostolorum, Martyrum, aliorumque San-*